

Johannes de Capistrano an NvK. Er warnt ihn vor Nachgiebigkeit gegenüber den häretischen Böhmen.

Druck: Wadding, Annales Ordinis Minorum VI 44-46 (hierzu am Rand: Ex autographo & regist. Baptist. fol. 17); A. Hermann, Capistranus triumphans sive Historia de S. Job. Capistrano, Coloniae 1700, 383-386; Wadding, Annales Minorum ²XII 128-130; ³XII 149-152.

Erw.: Weber, Des Franciscaners Johannes von Capistrano Mission 24; Vansteenberghe 219; Chiappini, Produzione 93 Nr. 93; Koch, Briefwechsel 15; Hofer, Capistrano 387, 417, 423; Hofer, Kapistran II 128 und 136f.; Heymann, George of Bohemia 74 und 76; Moorman, History of the Franciscan Order 470f.; Hallauer, Glaubensgespräch 61f.; Bonmann, Provisional Calendar 340 und 391 Nr. 363.

Reverendissimo domino suo colendissimo domino cardinali sancti Petri ad vincula, sacrosancte sedis apostolice legato, patrono suo benignissimo.

Reverendissime in Christo pater ac domine, protector mi singularissime. Humillima et devota recommendatione premissa.

Accidit nonnumquam tum relatione sinistra, tum emula quorundam caritati noverca, seditione vel aliqua forsitan ambitione blandiendi sive fallacis applausus pro captanda gratia dominorum erga fidelissimos servitores, magnates et preclarissimos commoveri, verus tamen amicus omni tempore diligit incessanter. Hec premiserim ex eo, quod nuper ad me perlatum est vestram reverendissimam dominationem in me aliquantulum turbatam, quod cum suis complicitibus hereticaverim Rokyzanum.

Supplico dignemini meam insipientiam paululum tolerare. E duobus unum eligere me oportet: aut ipsum hereticare, aut papam cum omnibus catholicis tam principibus ecclesiasticis et secularibus quam subditis universis. Quid eligam, non ignoro, quia me catholicum reputo confidenter. Si debuerim sibi iuxta suam stultitiam respondere, suemet iudicent littere ad me suo nomine perlate¹⁾, quarum ecce copiam destino instantissime precans, dignemini perlegere seriose, et cum recte reperitis intuitu perspicaci sensum earundem, tunc me arguite, si dei, ac sathane spiritu ductus ipsum hereticum, quin magis heresiarcham debuerim appellare.

Oro non in me precipitanter invehamini incusantes factum. Si hereticos excusamus, nos ipsos condemnamus. Nostri moris nunquam fuit circa fidem claudicare. Articulus est symboli: ‚Credere oportet unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam‘. Si dignum cuiquam putatur hanc unam tribuere Rokyzano, mihi nunquam, quia sacrosancta Romana ecclesia Spiritu Sancto recta semper immaculata permansit et permanebit in eternum²⁾, quia porte inferni adversus eam minime prevalebunt in eternum³⁾; pro qua Christus fidelibus se sponnit in Petro, ne deficeret fides eius.⁴⁾ Quid igitur culpor, si pro debita sibi obedientia milito vigilanter? Nonne pro nobis certo? Nonne pro vobis tot periculis involvimur? Peccatum certe infidelitatis incurrit quisquis, dum se christianum asserit, sedi apostolice obedire contemnit.

Littere vestre ita canunt manu propria scripte.⁵⁾ Ego semper fugi dietas cum Bohemis inire communi dietarum modo. Ipsi enim omnibus diebus nostris studuerunt suam perfidiam ex antiquis scripturis et observantiis iustificare, et iam habent omnium talium scripturarum supremam notitiam; et certe multe sunt pro communionem utriusque speciei. Unde sciens cum pertinacissimis hereticis non esse contendendum, nolui in dietam nisi certo quodam modo consentire. Et ut cum fiducia loquar, tanquam indignus filius cum patre et presumptuosus servulus cum domino suo, humillima tamen quanta decet reverentia, si vestra reverendissima dominatio Bohemos perfidos et pertinacissimos hereticos desulcaverit et s.d.n. Nicolaus papa quintus in quatuor litteris suis apostolicis plumbea bulla communitis, quas ad me sua

¹⁾ Wohl das breit überlieferte Schreiben Rokyzanas an Capistran vom 12. November 1451 (Bonmann, Provisional Calendar 332 Nr. 334 und 396f. Nr. 334) und Capistrans ebenso breit überlieferte Antwort darauf vom 14. Januar 1452 (Bonmann, Provisional Calendar 337 Nr. 351 und 397f. Nr. 351). Vgl. hierzu auch Hofer, Kapistran II 101-115.

²⁾ Vgl. Eph. 5,27.

³⁾ Mt. 16,18.

⁴⁾ Lk. 22,32.

⁵⁾ Nicht überliefert. Vgl. Nr. 2182 und Nr. 2410 Anm. 4.

sanctitas destinavit⁶⁾, eosdem Bohemos superstitiosos, erroneos, schismaticos, hereticos ac a fide devios
35 et ab obedientia Romane ecclesie disgregatos exprimit et in concilio Constantiensi condempnatos:
Quomodo respondebunt, qui me apud v.r. dominationem accusant et suo temerario iudicio deprehen-
dunt me debere eos catholicos predicare? „Non est discipulus super magistrum nec servus super domi-
num suum.“⁷⁾

Qui v.r. dominationi persuadent, ut sub utraque specie communionem laicis concedatis erroribus iam
40 consentiunt illorum asserentium damnatos esse omnes, qui non sub utraque specie communicarunt et
nunc non communicant, propter quod in antiquum iam dampnatum errorem Nestorianorum et Pelagia-
norum communicantium infantulos in die baptismi specie sub utraque prolabuntur. Atqui per violentiam
cogunt hi Bohemi nostros catholicos ad eundem errorem et ad prophana loca catholicorum corpora
decidentium extra civitatem Prage Rokyzanus hoc anno eiici suo iussit imperio scelerato.

45 Ecce nunc in Praga statuerunt ex nostris clamoribus et scripturis velle servare Compactata⁸⁾, palliantes
se propter hoc ne heretici censeantur et ad Ratisponam se venturos asserunt sub vestra sponsione, qua
intenditis eis concedere Compactata, et ultra, quod mihi credibile non videtur, cum nec felicitis recorda-
tionis Martinus nec Eugenius nec s.d.n. (*Nikolaus V.*) id egerint usque in hanc diem. Si hoc se clypeo et
galea protegere potuerint, exemplum erit ceteris christianis peragendi similia et se rebellandi contra
50 obedientiam et decreta sancte matris ecclesie incunctanter et insurgendi in prelatos, sicut ipsi iam per
annos plurimos infida, ferali et immani severitate fecerunt. Presument etenim catholici se non debere
esse peioris conditionis quam Bohemi. Unde si Bohemi talia bona pacta ab ecclesia suceperint et nos –
dicent – paria obtinebimus vel maiora. Nostri namque predecessores ecclesias dotaverunt, ad nos igitur
pertinent ista bona.

55 Videte, domine, et diligenter attendite, ne per hanc viam Pragam acquirere computetis et christiani
populi totum residuum amittatis. Scio quid loquor, quid audiverim a nonnullis magni ponderis homini-
bus. Dirigat altissimus causam suam: Neque iniquitas mea neque peccatum meum, domine. „Innocens
ego sum a sanguine omnium vestrum“, dixit apostolus.⁹⁾ Excusavi conscientiam meam, et excusabo apud
deum et homines. Iam Rokyzanus ficta simulatione predicat, quod nunquam Basiliense concilium sibi
60 compactata dedisset, nisi cognovisset ipsis necessario assentiendum ex Christo precepto et stricta
necessitate salutis.

Videte sequentem diabolicam fictionem, de qua iam per scripturas et relationes plurimorum fide
dignorum sum persepitus informatus, quod scilicet de Moravia quemdam suum complicem advocatum
furtivo modo instruens eundem, pretensum, ut asserit, sacerdotem, ut cum hereticos appellaret non
65 communicantes sub utraque specie sibi publice contradiceret et ipsum potius Rokyzanum talia predican-
tem hereticum appellaret, ut in presentia populi confusus illa a Rokyzano palam coram omnibus dicta
revocaret. Et ita factum extitit in delusione baronum et populi fascinati. Non est mihi nec locus nec
tempus accomodum plurima reserandi de compilatis per eosdem nunc in Praga, ubi nostri non re, sed
nomine catholici reputati invicem convenerunt et cum fidei adversariis iam tripudiant pari gradu, bona
70 sibi ecclesiastica et iura regalia usurpantes sub ficto colore tuendi regnum Bohemie.

„Ex abundantia cordis os loquitur“¹⁰⁾: Parcite queso nunquam in iure hereticos premiandos, sed acriter
crucianos, eorum bona confiscanda et penas varias et acerrimas in eosdem cumulandas ac indulgentias
plenarias catholicis exhibitas in favorem fidei et exterminium eorundem. Nescio quos susurrone audire
vos delectet, adulantes vobis fictis mellitisque sermonibus, venenum aspidum insanabile continentibus
75 intrinsecus obtutatum, ut suis falsis suggestionibus et promissis v.r.d. inducere moliantur ad conceden-
dum eis communionem sub utraque specie, et nona ecclesiastica et cetera, que requirunt, in degratio-
nem et dedecus apostolice sedis ac vilipendium et contemptum ecclesiastice dignitatis. Vere contra vos
agitis, si talia concedetis.

⁶⁾ Vgl. Nr. 2112 *Anm.* 6.

⁷⁾ *Mt.* 10,24.

⁸⁾ *Prager (1433) bžřv. Iglauer Kompaktaten (1436); ed. F. Palacký, in: Archiv český 3 (1844) 398-444; Mansi XXXI 273-278; MC I 495-501. Vgl. J. Schwarz, in: LexMA I (1980) 1542f.; Šmabel, Hussitische Revolution III 1641-1690, 2211 s.v.*

⁹⁾ *Apğ.* 20,26.

¹⁰⁾ *Mt.* 12,34.

Audivi ex ore vestro in Vrbe, quod non acceptastis capellanum pro genuflexionibus ante pedes, sed ut quidquam arduum in ecclesia agere valeretur. Cum reverentia hoc mihi non arduum, sed infimum suade- 80 tur talia concedere heresi infectis, si meus pusillus et infirmus intellectus ambulet in tenebris cecitatis, vester tamen limpide et preclarus hec ruminans et revolvens utile consilium servuli ne despiciat et presumptioni mee dignetur indulgere: ‚Zelus domus tue comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.¹¹⁾ Etsi vermiculus et non homo¹²⁾, muscula vel formicula reputandus sim inter homines vel etiam sub pedum scabello¹³⁾ abiectus et conculcatus in pulvere permanebo magisque eligam 85 ‚habitare in tabernaculis peccatorum¹⁴⁾, summam dei clementiam sincera mente propulsans, ut v.r.d. ex alto perspectans dirigat, protegat et sublimet ad gloriam sempiternam.

Ex Ponte Regni Bohemie 1452 die 17. mensis maii manu propria festinanter.

¹¹⁾ Ps. 69(68),10.

¹²⁾ Vgl. Ps. 21(20),7.

¹³⁾ Vgl. Jak. 2,3.

¹⁴⁾ Ps. 84(83),11F}.